



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 113/16/I

BEATISSIME PATER,

Leonardus Messinese, Procurator generalis Ordinis Minimorum, reverenter exponit proximo die XXVII Martii sex expletum iri saecula ex quo in oppido Paula, in Calabria, S. Francisco Assisiensi intercedente, e coniugibus Iacobo, Martolilla supernominato, et Vienna, de castro dicto Foscaldo, natus est filius legitimus, quem quam primum, sicut bonos christianos decet, fecerunt baptizare imposueruntque nomen Franciscus, et postea fecerunt confirmare. Ad hanc sacram memoriam rite celebrandam, per iubilarem S. Fundatoris annum, in ecclesiis Ordinis Minimorum aliisque locis sacris ubi Sanctus publice colitur, praesertim in natali domo, peculiare habebuntur sacrae functiones et varia spiritalia incepta, quibus id vel maxime propositum est, ut impensius usque christifideles Fidem, Spem et Caritatem foveant, hierarchicam communionem cum Romano Pontifice roborant et mores ad Evangelii normam componant. Quo autem hi spiritalis fructus perfectius attingantur, Rev. mus Orator Indulgentiarum donum ad instar Iubilaei implorat. Et Deus, etc.


Die XVII Martii MMXVI

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, de mandato Sanctissimi Patris Francisci, *iubilarem* confirmat *Annum* quem perlibenter *plenariae* dicit *Indulgentiae*, suetis sub conditionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) omnibus Ordinis Minimorum sodalibus aliisque christifidelibus vere paenitentibus et caritate compulsis lucranda si, unito corde cum spiritalibus finibus Anni Misericordiae Sancti, quamvis ecclesiam Ordinis Minimorum et ubi S. Fundator publice colitur, praesertim natalem domum, in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilare ritibus vel piis exercitiis in honorem S. Francisci de Paula, rite determinandis, devote interfuerint vel saltem per congruum temporis spatium preces Deo effuderint pro fidelitate ad christianam vocationem, pro sacerdotalibus ac religiosis impetrandis vocationibus et pro defendendo humanae familiae instituto, concludendum Oratione Dominica, Symbolo Fidei et invocationibus B. Mariae Virginis et S. Francisci de Paula.

Pii fideles qui, propter infirmitatem aliasve iustas causas impediuntur quominus praedictas ecclesias visitare possint, in loco quo impedimentum eos detinet, *plenariam* consequi valebunt *Indulgentiam*, si, concepta detestatione cuiuscumque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, spiritalem desiderio cordis visitationem peregerint, preces ut supra recitaverint, suis doloribus vel incommodis propriae vitae misericordiae Deo fiducialiter oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut presbyteri ex Ordine Minimorum, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae in iubilare sacellis sese praebeant et Sanctam Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti per memorialem annum valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.


MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior


CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens